

# D. AMBRO.

SII MEDIOLANENSIS EPISCOPI COM  
mentarij in Epistolam Pauli ad Romanos.

## PRÆFATIO.



**P**incipia rerum requirenda sunt, ut noticia earum possit haberi. Tunc enim facilius poterit causae ratio declarari, si eius origo discatur. Si ergo Epistolae datae modum ostenderit, potest verum uideri quod dicimus. Constat temporibus apostolorum Iudaeos, propterea quod sub regno Romano agerent, Romae habitasse, ex quibus hi qui crediderant, tradiderant Romanis, ut Christum profitentes, legem serua-  
rent, Romani autem audita fama uirtutum Christi, faciles ad credendum fuerunt, utpote prudentes. Nec immerito prudentes, qui male inducti, statim se correxerunt, & manserunt in eo. Igitur ex Iudaeis credentes & improbe sentientes de Christo, legem seruandam dicebant, quasi non esset in Christo salus plena. Ideo negat illos spiritualement gratiam consequutos. Hi sunt qui & Galatas subuerterunt, ut a traditione Apostoli recederent, iudaizarerent. Quibus ideo irascitur Apostolus, quia docti bene, facile fuerunt traducti. Romanis autem irasci non debuit, sed laudare fidem illorum: quia nulla uirtutum uidentes insignia, susceperunt fidem Christi, quamuis corrupto sensu: non enim audierant mysterium crucis Christi. Propterea quibusdam de Iudea in urbem Romam aduenientibus, sicut Priscilla & Aquila, de edenda carne & non edenda quaestiones fiebant.

A // Igitur

Hæc non coherent.  
Opinor  
fuisse scriptum: Faciles ad credendum fuerunt, sed male inducti, statim se correxerunt & manserunt in eo, utpote prudentes.  
Igit. &c.